Caput II.

Varia corruptelae genera exemplis illustrantur. A. De lacunis.

De codicum auctoritate quid statuendum esset quaerentibus sponte contigit, ut in tales etiam corruptelas incideremus quarum emendatio non tam codicum ope quam recta deliberatione inveniri posset. Praecipua autem depravatae lectionis genera praeter meras verborum corruptelas in his tragoediis dudum intellecta sunt cum versuum iactura vel turbatus ordo, tum aliena additamenta vel librariorum errore in textum inlapsa vel dedita interpolatorum opera genuinis admixta. Talium vitiorum emendationes nonnullas nunc propositurus hanc tamen mihi legem scripsi, ut traditum versuum ordinem non mutarem nisi ubi certa ratiocinatione eum turbatum esse effici posse videretur, ut nihil e versuum contextu removerem nisi quod stare nullo modo posse idoneis argumentis evictum esset, ut orationis partem aliquam intercidisse non statuerem, nisi, Leonis in ea re exemplum secutus, sententia in exemplum suppleta ostendere possem certum aliquid desiderari. Ac tribus quae sequentur capitibus exempla dabo primum lacunosae orationis suppletae, tum turbati versuum ordinis restituti, postremo verborum emendationis, quae tamen non ita secerni et separari omnia potuerunt, ut non diversa vitia in eodem loco deprehensa non numquam simul emendanda essent.

Atque in prologo Herculis furentis Iuno procedit odio furibunda, querelas agens de iniuriis ab Iovis paelicibus totiens sibi illatis. Caelo depulsam illis earumque filiis locum se dedisse. Quorum inviso grege perlustrato sic pergit v. 19:

Sed vetera sero querimur: una me dira ac fera
Thebana tellus nuribus sparsa impiis
Quotiens novercam fecit.

Sic versum 19 utriusque recensionis libri exhibent, legitimo ambitu uno pede amplorem. Sequentem prosodiaco vitio laborantem unus sic praebet codex praestantissimus, interpolati libri talem:

Thebana nuribus sparsa tellus impiis,

sublato quidem illo quod notavimus vitio, sed recto verborum ordine perturbato. Ac priorem versum critici inde a noviciis Italorum correctoribus usque ad novissimum tragoediarum editorem in ordinem redegerunt expuncta *sero* particula.

Ac particulam recte deleri tum constaret, si ferri eam hoc loco non posse, certis argumentis evinci posset. Id contendit Tork. Baden, 'nam vetera,' inquit, 'numquam non sero querimur.' Quo argumento nihil effecit. Nam hoc ipsum dea dicit, seras i. e. inanes esse de rebus ante actis querelas. Idem est ac si dixisset: 'Sed vetera frustra querimur.' Vix est quod hunc loquendi usum exemplis confirmem, sed pauca dabo ex magna copia. Plaut. Capt. 870: 'Abi, stultus: sero post tempus venis' i. e. frustra. Ter. Heautont. 344: 'Age modo: hodie sero et nequicquam voles'. Illustratur prius adverbium posteriore. Eodem sensu adiectivum usurpatur. Sic seras querelas et inrita iurgia iuxta ponit Vergilius Aen. X, 94: 'Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis Haud iustis adsurgis et inrita iurgia iactas.' Cf. Sen. Med. 198: Vox constituto sera decreto venit. Phaed. 594: Magna pars sceleris mei Olim

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

peracta est, serus est nobis pudor. Oed. 103: Quid sera mortis vota nunc demens facis? — Alia infra addam. —

Hoc igitur patet, nullam esse in ipsa particula offensionem. At aliunde gravis exurgit dubitatio. Etenim deam cum dicentem audimus, vetera se frustra queri, necessaria eo dirigitur cogitatio, ut expectemus, veteribus illis iniuriis et debitae poenae elapsis oppositum iri novas quasdam ultioni et vindictae etiamtum aptas. At fallit opinio. Nam reflectens ad Thebanas paelices inanes querelas iterare primum videtur, dum post octo demum versuum ambages edocemur, has scilicet Thebanas iniurias non iterum inultas esse mansuras. Quod quamquam ferri et intellegi iterata lectione aliquo modo potest, tamen meliore olim sententiarum decursu sermonem fluxisse manifesta extant vestigia. Tradita enim scriptura cum nihil habeat, quo facile possis carere, ipsa autem careat membro ad sententiam complendam necessario, quid magis in promptu est, quam ut excidisse quaedam suspicemur et versum traditum ex duorum fragmentis consutum esse putemus? Aut omnia me fallunt aut tale quid scripsit poeta:

Sed vetera sero querimur; [*haec etiam nova*
Inulta patimur?] Vna me dira ac fera e. q. s.

Iam orationis membra commode se excipiunt: 'Missa faciam inutilem de veteribus iniuriis querelam. Has tamen quas nunc ipsum patior non relinquam inultas, praesertim cum ab illa urbe proficiscantur, quae tot tantasque mihi inussit contumelias. Et si non prohibere possum quin Alcmena meum in caelo locum teneat et invisus eius filius astra occupet promissa, non tamen inulta abibunt odia mea et dolores.'

Et quo magis placeat supplementum a nobis propositum, ad hos, quaeso, animum advertas locos consimilem in modum compositos. Audias Venerem de Caesaris nece coram divis sic conquerentem (Ovid. Metam. XV, 774): 'Quid nunc *antiqua* recordor Damna mei generis? Timor *hic* (i. e. praesens, novus) meminisse priora Non sinit'. Ipsam Iunonem huius fabulae v. 63:

levia sed nimium queror:
Caelo timendum est.

Item Hecubam (Troad. 41):

Sed quid ruinas urbis eversae gemis,
Vivax senectus? respice infelix ad hos
Luctus *recentes*: Troia iam *vetus* est malum.

Porro Medeam (Med. 48): levia memoravi nimis: Haec virgo feci; gravior exurgat dolor: Maiora iam me scelera post partus decent.

Conferas denique haec quoque: Phaed. 594: magna pars sceleris mei Olim peracta est, *serus* est nobis pudor. Med. 398: regias egone ut faces *Inulta patiar*? ibid. 26: querelas verbaque incassum sero? Herc. Oet. 282: Non ibo inulta: gesseris caelum licet Totusque pacem debeat mundus tibi, Est aliquid hydra peius: iratae dolor Nuptae.

Causam omissorum hemistichiorum homoioteleuton praebuit (queri*mur*, pati*mur*). Sic de his versibus (HO 1416): 'vindicem saltem pre*cor* Servate terris. abeat excussus do*lor*' alterum omisit is qui codicem E exaravit, ibid. de versibus 361. 362, quorum uterque in vocem 'amat' desinit, posteriorem. Phoen. 515: de his: '*nate* post multos mihi Remisse soles, *nate* suspensae metus Et spes parentis' prius orationis membrum idem librarius neglegens praetermisit. — Alia eiusdem generis praesto sunt haud pauca.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed locum de quo haec est disputatio nondum expedivimus. Graviorem medelam ei adhibendam ratus scripsit R. Peiper: 'Vna me *Dirce* fera Quotiens novercam fecit!' sublato e contextu versu 20 ut spurio. Quod quamquam haud inscite excogitatum est, neque eo refutatur quod Madvigius (Advers. crit. II, 111 n. 2) obloquitur, sensu coniecturae perperam intellecto, tamen probari nullo modo potest. Quid enim in traditis verbis est quod tam gravis corruptelae suspicionem moveat? Erat cum ipse coniciebam scribendum esse: Vna me *culpae* fera*x* Thebana t. e. q. s. Sed puto ferri posse traditam scripturam, etsi non admodum arridet. Dira tellus Thebana Iunoni vocatur ut infesta et perniciosa, ut Harpyias diram gentem Aeneas dicit (Verg. Aen. III, 235), dirum Hannibalem Hor. c. III, 6, 36, diram novercam Ov. Her. XII, 188. Dirum vel ferum omne appellatur quicquid vel infestum vel funestum ac fatale est. cf. v. 30: 'quicquid horridum tellus creat Inimica, quicquid pontus aut aer tulit Terribile dirum pestilens atrox ferum'. Troad. 981: Quis tam impotens ac durus (dirus?) et iniquae ferus Sortitor urnae. Ibid. 1056: 'O dura fata, saeva miseranda horrida. Quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus Mars vidit annis?' Quidni Thebae prae ceteris Graeciae urbibus Iunoni fatales apte sic appellentur? Multo minus est in proximo versu praeter prosodiacum vitium supra significatum, quod iustam praebeat offensionis materiam. Illud autem quin recte ab Aem. Baehrens (Miscellanea critica p. 34 n. 1) sublatum sit addita post 'nuribus' *a* particula, Iunonis dolori apprime apta, nullus dubito. Nihil praeterea displicet, neque sententia neque translata oratio. Tellurem nuribus impiis sparsam i. e. occupatam dicit poeta, ut Herc. Oet. v. 18: Sparsit peremptus aureum serpens nemus. Similiter dicitur Aurora novo spargere lumine terras (Verg. Aen. IV, 584) i. e. perfundere vel occupare, vel orta dies summos spargere lumine montes (ibid. XII, 113). — Nurus dici quaslibet mulieres non est quod moneam. cf. Phoen. 576 (virgo) Thebana nuribus munus Argolicis eat? Med. 76 Cecropias nurus. Ag. 194 Phrygiae nurus. De Thebanarum impietate cf. etiam Herc. fur. v. 386: Thebana novi regna: quid matres loquar passas et ausas scelera? Vbi Agaven, Inoa, Nioben, Dircen significat. Apparet tellurem, quae tales tulit feminas cum Antiopis, Semelis, Alcmenis, mulieribus impiis quasi sparsam vel occupatam ab irata dea non modo apte sed etiam exquisite et proprie dici.

Adscribo totum locum in ordinem redactum:

Sed vetera sero querimur. [*haec etiam nova*
Inulta patimur?] una me dira ac fera
Thebana tellus nuribus [*a*] sparsa impiis
Quotiens novercam fecit.

Gravioribus laborat corruptelis Deianirae narratio in Hercule Oetaeo de perniciosa Nessei sanguinis vi, quam missa ad Herculem palla funesto quodam omine se deprehendisse nutrici refert (v. 716 sqq.):

Vt missa palla est tabe Nessea illita
thalamisque maerens intuli gressum meis,
nescio quid animus timuit et fraudem struit,
libet experiri.

Absonum est reginam dicere fraudem strui a suo ipsius animo. Non ipsa fraudem struit, sed ne fraudis aliquid insit in Centauri dono veretur. Quod cum perspiceret Leo, supplendam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

censuit sententiam tali fere additamento: 'nescio quid animus timuit. [*an moriens viro Poenas parat Centaurus*] et fraudem struit?' Faciliore remedio mendum tolli posse R. Peiper mecum communicavit hoc: 'nescio quid animus horret. *an* fraudem struit? Nimirum Centaurus. Sed in eis quae sequuntur orationem mancam esse pro certo habeo. Deianira animo malum praesagiente et Centauri monitis iam diffidente experimentum facere statuit: 'Libet experiri, solibus dirus (*codd.* virus, *correxit* de Wilamovitz) ferum Flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit: Hic ipse fraudes esse praemonuit dolus'. His igitur versibus causam significat suspicionis animo obortae et indicat viam experimenti: ipsa sanguinis particulam igni aliquo modo obiciet. Quod quomodo perfecerit, exponit sequentibus versibus, in codice Etrusco sic traditis:

et forte, nulla nube respersus iubar,
laxabat ardens fervidum Titan diem,
vix ora solvi patitur etiam nunc timor.
725 medios in ignes solis eiceram facem
quo tincta fuerat palla vestisque inlita
abiectus horret sanguis et Phoebi comam
tepefactus astris vix quoque est monstrum elocor.

Primum igitur indicat quo tempore factum sit quod est narratura, in qua re is qui hanc tragoediae partem elaboravit, non concinit cum auctore superioris actus. Sed hanc quaestionem hic explicare non est in animo. Palla igitur media nocte veneno infecta, primo diluculo ad Herculem missa est. Dum regina in thalamum redit, morientis semiferi monitorum memor et de experimento faciendo cogitans, tum ipsum primi orientis solis radii effulgent. Quae deinde narrat, satis perplexa sunt et obscura. Videtur autem hoc dicere, sanguinem, quo vestis marito missa tincta erat, in medios solis ignes abiectum horruisse. At non potuit ille sanguis, quem palla imbiberat, posthac in ignes abici. Neque sanguis horrens quid sit, intellego, antequam edoctus ero, quam rem ipso sanguine significari poeta voluerit. Denique miror, id in quo ipsa experimenti vis inest, sanguis ut flammis exponeretur, non disertis verbis dictum esse. Accedunt vocabula aperte corrupta.

Iam videamus numquid e vulgatae recensionis scriptura lucis his tenebris oboriatur. Ac polite primo obtutu hic omnia decurrere videntur:

medios in ignes solis *et claram* facem,
quo tincta f. p. v. i.,
abiectus horret sanguis et Phoebi coma
tepefactus *ardet*. vix *queo* monstrum elo*qui*.

Atque illud *et claram facem* cum traditis in E litteris convenit tum confirmari videtur exemplari eo, ad quod Herculis Oetaei auctor hunc locum magna ex parte conformavit, Sophocleo in Trachiniis, ubi Deianira (v. 695) haec narrat:

τὸ γὰρ κάταγμα τυγχάνω ῥίψασά πως
τῆς οἰός, ᾧ προύχριον, ἐς μέσην φλόγα,
ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν.

Sed caveas ne veri quadam specie decipiaris. Nam ut omittam, locum Sophoclis in suspicionem interpolationis merito vocatum esse, facem non pro radiis solis accipi posse recte D. Heinsius monuit. 'Aliud est nempe fax, aliud radius. Solis fax in caelo manet, radii in terra quoque sparguntur.' Neque hac scriptura ulla earum quas supra dixi movendas esse

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dubitationum solvitur. Sed locus e Trachiniis allatus aliam monstrat emendationis viam. Hic enim aperte dicitur, quid tandem fuerit illud, quod humi proiecerit regina. Nam *κάταγμα* quod hic memorat, id v. 674 clare indicat *οἰὸς πόκον*, i. e. particulam velleris ovilli. Simili autem re in hac fabula reginam usam esse in experimento instituendo, ab ipso poeta docemur. Nam regina postquam narravit, illud humi proiectum horruisse et tepefactum in aliam abiisse formam, imaginibus ex rerum natura petitis rem sic illustrat:

nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus e. q. s.
sic l a n g u e t o m n e v e l l u s et perdit comas.

Habes igitur velleris vel lanae Sophocleae commemorationem, quam supra desiderari iam Gronovius recte monuit. Cuius mentionem cum ita vir doctissimus censeret inferri posse verbis poetae, ut scriberetur: 'abiectus horret sanguis, *ut* Phoebi *glomum* Tepefecit *ardor*' neque sententiae satisfecit neque sermoni. Nam ne sic quidem ulla lanae aut velleris significatio, nulla sanguinis vocabulo lux affusa, neque video quid monstri insit in glomo solis ardore tepefacto. Rectam viam ingressus est F. Leo, qui rem desideratam induxit hac coniectura:

medios in ignes *vellus eieci madens*
quo tincta fueret p. v. ill.

Quae tamen coniectura ideo displicet, quod verbum tollit non suspectum (*solis*) et significatione caret eius rei quo sententia relativa referatur. Quare, si quid video, non aliter laboranti sententiae subveniri poterit, nisi addito unius versus supplemento, in quo velleris proiecti et Nessea tabe tincti mentionem factam esse statuas, velut talis:

medios in ignes solis eieci *pavens*
[*de pecude lanam, tinctam eodem sanguine*]
quo tincta fuerat palla vestisque inlita.

Cogitavi etiam de hac scriptura non tam litteris quam sententiae convenientissima:

medios in ignes solis *experiens dolum*
[*proicio vellus tinctum eo s.*]

(v. 719 libet experiri), reieci tamen ut licito audaciorem. Sed longe difficiliora restant. Nam quid lanam illam vel villum experimenti causa humi ab regina proiectum et solis radiis expositum (hac autem re differt huius fabulae auctor a Sophocle, ut consulto factum esse fingat, quod casu fit in tragoedia Graeca) evasisse, in quam tandem abiisse formam putabimus? Et quoniam bis a poeta vidimus huic quaestioni responsum esse, praeter hunc nimirum locum etiam v. 735 sq. supra memorato, et ita quidem, ut quod priore loco corrupte et obscure, id altero clare et emendate proferatur, sequitur, ut alter adhibendus sit ad priorem emendandum. Quodsi in E scriptum videmus '*comam*' (A '*coma*') facile adducimur ut credamus verbum regens aliquo modo intercidisse. Sic deliberanti suspicio mihi venit scriptum fuisse hoc loco idem quod infra legimus: *perdit* comam. Haec autem vocis imago (PERDIT) detersis vel omissis paucis litteris (PEDI) facile potuit abire in dei nomen (FEBI, PHEBI). Cui coniecturae si quis ita volet obloqui, ut dicat non deberi iteratam eiusdem rei iisdem verbis mentionem poetae inferri, ei respondebo, stilo scriptoris ob molestas verborum et rerum repetitiones vituperatissimi hoc ipsum apprime convenire. Iam vero recta ratiocinatione si verum assecutus sum, sequitur etiam vocabulum *sanguis* stare non posse. Quod cum aegre patiamur pro lana sanguine tincta proferri, tamen comam perdere dici nullo modo ferendum est. Vereor, ut sit e glossa ortum infra superiora verba (*tincta fuerat*) subscripta, quae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per errorem in textum recepta genuinum verbum expulisse putanda sit. Scripsit poeta, nisi fallor:

abiectus horret *villus* et *perdit* comam (vel: abiect*um* inhorret vellus)

Sequitur versus omnium corruptissimus:

tepefactus astris vix quoque est monstrum elocor

ab interpolatore ita aliquo modo resartus magis quam reparatus:

tepefactus ardet, vix queo monstrum eloqui.

At certissimum est, non arsisse vellus, sed novo quodam et inaudito modo defecisse et interiisse, ut v. 735 sqq. diserte docent. Ac Trachinias consulentes his Sophoclem miraculum verbis expressisse legimus, bis quidem et illum; primo loco v. 674 sqq.: *ᾧ γὰρ τὸν — πέπλον — ἔχριον — οἰὸς πόκῳ, τοῦτ' ἠφάνισται διάβορον πρὸς οὐδενὸς τῶν ἐκτός, ἀλλ' ἐδεστὸν ἐξ αὑτοῦ φθίνει καὶ ψῇ κατ' ἄκρας σπιλάδος*, altero v. 697: *ὡς δ' ἐθάλπετο, ῥεῖ πᾶν ἄδηλον καὶ κατέψηκται χθονί, μορφῇ μάλιστ' εἰκαστὸν ὥστε πρίονος ἐκβρώματ' ἂν βλέψειας ἐν τομῇ ξύλου. τοιόνδε κεῖται προπετές· ἐκ δὲ γῆς, ὅθεν προὐκειτ', ἀναζέουσι θρομβώδεις ἀφροί* (v. 737 quin ipsa tellus spumeos motus agit). Huc igitur miraculum redit apud Sophoclem, ut lana in locum solis igne collustratum abiecta diffluat tota nescio quo modo et quasi in pulverem comminuta evanescat. Non flamma consumitur, sed occulta quadam vi corrosa disperit. Ac tale quid corruptis Etruscae lectionis litteris subesse necessario statuendum est. Quod quale fuerit nemo adhuc assecutus est. Peiper scripsit: *tepefactus arsit* (cui coniecturae Leo favere videtur), *vix queo monstrum eloqui;* alterum versus hemistichium sic emendare voluit Kaibelius: *vix quod est monstrum elocor*, Leo sic: *Tumque (vix monstrum eloquor)* quae cum sequentibus coniunxit. Neque ego verum me invenisse mihi persuadeo. Tamen ad viam emendationis indicandam propono quod tentavi apposita uncialibus litteris Etrusci scriptura:

TEPEFACTVS ASTRIS VIX QVOQVE EST MONSTRVM ELECOR

tepet ac senescit vixque adest: monstrum elocor.

Eleganti translatione senescere dicuntur quae languescunt vel deficiunt. Ne lexicorum opes expilem praeter Octaviae locum v. 391 (de aethere: qui si senescit), unam affero Domitiani imperatoris vocem (apud Suet. Dom. 18): forti animo fero comam in adulescentia senescentem.

Iam totum appono locum, non penitus quidem emendatum, sed nescio an paulo quam adhuc editus legitur, emendatiorem.

Vt missa palla est tabe Nessea illita
thalamisque maerens intuli gressum meis,
nescio quid animus timuit. *an* fraudem struit?
libet experiri. solibus *d*irus ferum
720 flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit:
hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.
et forte, nulla nube respersus iubar,
laxabat ardens fervidum Titan diem.
vix ora solvi patitur etiam nunc timor —
725 medios in ignes solis *eieci pavens*
[*de pecude lanam, tinctam eodem sanguine*]
quo tincta fuerat palla vestisque inlita;
abiectus horret *villus* et *perdit* comam,
tepe*t* ac *senescit* vixque *ad*est: monstrum elocor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nonnullos addo locos, ubi sermonem lacunosum esse coniectura non certa quidem, sed probabili statuere mihi videor. Medea ubi consilium caedis liberorum perpetrandae v. 923 sq. hisce verbis expressit:

ultimum, agnosco, scelus
animo parandum est — liberi quondam mei,
vos pro paternis sceleribus poenas date

ilico tamen exhorrescit sceleris animo concepti atrocitatem; maternus affectus repellit iram et nefandae ultionis cogitationem, iubet longe abesse a matre dirum et inauditum facinus (926—932). Carere innocentes liberos culpa et crimine. Sed, ut fit animo variorum affectuum certamine conturbato, scrupuli dubitationes modo abiectae redeunt. Quid? Absyrtus frater, quem ipsa quondam trucidavit, nonne innocens fuit et ipse? Titubat animus, anceps aestus modo huc modo illuc incertam rapit. Iterum misericordia et pietas materna vincit: 'ira pietatem fugat Iramque pietas — cede pietati, dolor!' Sic animo mitigata advocat ad se pueros, in supremis eorum amplexibus solamen quaesitura. At quomodo superabit ipsius valedictionis dolorem? Nonne ipso discessu et divortio instante ira in auctores nefandi fugae imperii novis aculeis aegram spretae mulieris animam mordebit? Quare quae dicit: 'habeat incolumes pater, dum et mater habeat' ita videntur proferenda esse, ut priora dubitationem denuo motam significent, quod fit interrogationis signo post ea posito: 'habeat incolumes pater?' et increscente dolore acerbum addat responsum: 'habeat, dummodo et mater habeat incolumes.' Iam supplenda est sententia: At non habebit incolumes, sed decreta mihi exilii poena eos amisi. Quam excidisse, quamquam certe demonstrari nequit, tamen verisimile est. Exemplum propono:

dum et mater habeat. *[at matri eripuit pater*
dum exilia iussit]: urguet exilium ac fuga.
iam iam meo rapientur avulsi e sinu
flentes gementes osculis — pereant patri,
periere matri.

Pater amittat, quoniam ego amisi; patri, non mihi peribunt. Quod tamen si ita statuit et decernit, cur statim pergit:

rursus increscit dolor
et fervet odium — ira qua ducis sequor?

Praeit nempe increscens dolor, quem sequitur iteratum facinoris consilium et facinus ipsum. Quare quae antecedunt, titubantis sunt et ultionis consilium revolvere denuo incohantis. Primum dubitat, an aequum et iustum sit, moderate agere cum patre tanta immanitate matrem a liberis quos ipsa peperit divellente. Talis desideratur sententia, qua dubitatio ista exprimatur. Evadet cum scripseris:

flentes gementes osculis — *parcam* patri?
periere matri.

vel etiam: *re*deant (vel) *man*eant patri?

An patri parcam? patri incolumes reddam liberos? ei, qui effecit, ut mihi perirent? Hoc iam dicit propenso ad facinus perpetrandum animo, sed necdum penitus firmato. Gradatio doloris brevi rem perficit:

rursus increscit dolor
et fervet odium, repetit invitam manum
antiqua Erinis: ira qua ducis sequor.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quod poeta v. 950 Medeam pueros facit *osculis* gementes, multos offendit, Leo intactum reliquit. Recte opinor, nam pueros inter fletus et gemitus oscula matri dantes significat.

HO. 1220 sqq. corrupte sic legitur in codicibus:

sanguinis quondam capax
tumidi *iecur* pulmonis arentes fibras
distendit, ardet felle siccato *iecur*
totumque lentus sanguinem avexit vapor.

N. Heinsius adv. p. 275 v. 1221 sic voluit scribi: *tumidi cor en,* quod in peius convertit Rossbachius scribens: *tumidumque cor*, quo fit ut attributum pulmoni aptissimum inde inepte transferatur ad cor ignibus ardens. Desideratur autem flammarum significatio, quae nunc pro sanguinis venis pectus occupant. Hoc sensisse videtur F. Leo, qui coniecit: *tumet igne cor,* p. a. f. Sed vereor, ut quicquam flammis correptum tumeat. Aliud enim est corpus calore extentum, aliud igne confectum. Quare nescio an et supplenda et emendanda sit hunc fere in modum Herculis intestini incendii descriptio:

sanguinis quondam capax
[*nunc torret igne pectus et flamma perit*]
tumidi*que cor* pulmonis arentes fibras
distendit e. q. s.

In transcursu moneo, v. 1223 recte tradi in A: *sanguinem avexit vapor,* in E vitiose sic: *sanguine vexat vapor.* Exempli instar est hic locus sescentorum, ubi emendatam scripturam A praebet, E corruptam.

Eodem remedio multis tragoediarum locis F. Leo felici eventu usus est, quamquam est, ubi levior medela praesto sit, velut loco supra (p. 20) tractato et alibi. Sic Troad. v. 1042 sqq., ubi haec sunt tradita:

Solvet hunc questum lacrimasque nostras
sparget huc illuc agitata classis
et tuba iussi dare vela nautae
1045 cum simul ventis properante remo
prenderint altum fugietque litus.

Tale putat F. Leo post v. 1043 desiderari sententiae supplementum: *[caede cum pontus fuerit piatus],* non ad hoc animum advertens, alienam esse captivarum animis eam cogitationem, invisis hostibus aliquam a deis parari posse veniam. Facile autem tollitur structurae durities particulis v. 1044 sq. incipientibus inter se commutatis. Sic enim recto ordine sententiae decurrunt:

Solvet hunc questum lacrimasque nostras
sparget huc illuc agitata classis,
cum tuba iussi dare vela nautae
1045 *et* simul ventis properante remo
prenderint altum fugietque litus.

Sed de hoc genere corruptelae hactenus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf